DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
FEBRI EPHEMERA,

JUSSU ET AUTORITATE
ILLUSTRIS MEDICI ORDINIS
IN ALMA SALANA,
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS ACADEMIÆ MAGNIFICI,
GEORGII WOLFFGANGI
WEDELII,
MEDICINÆ DOCTORIS,
COMITIS PALATINI CÆSAREI,
CONSILIARII ET ARCHIATRI DUCALIS SAXONICI,
THEORETICES PROFESSORIS ORDINARII,
H. T. FACULTATIS MEDICÆ DECANI,
Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui
ad tumbam usque devenerandi,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES,
INSIGNIA PRIVILEGIAQUE DOCTORALIA,
MORE MAJORUM,
LEGITIME ET SOLENNITER
consequendi,
publicæ censuræ exposita
à
FRIDERICO Liefmann/ Cassoviensi Hungaro,
IN AUDITORIO MAJORI,
Horis ante- & pomeridianis
consuetis,
Ad d. *August.* M DC XCVI.

JENÆ, LITTERIS NISIANIS.

DEO TRIVNI,
PATRONIS,
PRÆCEPTORIBVS,
PARENTI ATQVE PROPINQVIS
SACRVM!



PROOEMIVM.

Vulgatum est dicterium, quod cito fit, cito perit, neque tamen vniuersale, nisi addatur, cito obseruatum, nec neglectum. Facile oboritur flamma, sed citra hanc cautelam, breui incrementum capit, pessundans & stragem edens calamitosam.

Hinc aureum monitum est diuini senis: μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν ὑπερορᾷν, *nihil temere habendum, nihil negligendum*, quod vt in bello verissimum, ita longe magis in hostico morborum insultu, & maxime publico ac vniuersali, febri puta.

Verum est, non raro desinit opinione citius febricula, velut nubecula cito transitura apparens, sed nusquam tuta fides, in morbis quoque vbiuis cauto opus est. Vbiuis τὰς ἀφορμὰς, ὁπόθεν ἤρξατο κάμνειν, σκεπτέον, *occasiones vnde quis ægrotare cœpit, considerare oportet.*

Omnium horum & singulorum exemplum præbet Febris Ephemera, cuius disquisitioni vberiori, loco Dissertationis Inauguralis, dum nos accingimus, diuinum supplices adimus numen, vt feliciter omnia cedant!

CAPVT I.

De

Definitione Nominali.



CVm nomina sint rerum inuolucra & signacula, non incongruum fuerit, vt Ephemeræ genius facilius exhauriatur, ONOMATOLOGIAE eiusdem euolutionem præmittere.

Quod attinet vocabulum *febris*, perinde fuerit, an a *feruore* illam putemus dictam, licet *Paracelsus* erroneum id existimet; an ab ipsis *Februis*, quæ καθάρματα notant, feruore olim ac flammis apud Romanos secreta. Vtrumque in febribus habet locum, calore enim naturali blando in feruidum mutato efferuescit corpus, vriturque, quo massa sanguinea demum despumatur, & lustratur. Mittimus alias deriuationes, vt a *Februo*, infernalis ignis Deo, Græcis alias Pluto dicto; vel a *feritate* morbi; aut a pisce *Febrio*, capienti eum statim febrim inducente.

Rectius a *ferueo*, quod igne supposito, caleo, bullio, notat, appellationem sortitur, naturæ febris magis congruam, siue feruore concepto ab extra, vbi ambitus corporis instar aquæ feruentis ab igne & motu continuato æstuat; siue potissimum ab intra. Hinc a Latino Germanica quoque vox Fieber leui literarum immutatione descendit. Græcorum vero nomenclatura idem confirmat, quibus febris πῦρ, πυρετὸς ab *igne* & æstu dicitur, vti & *Hippocrati* πύρεξις audit, q. d. habitus seu dispositio ignea, vbi calor noster natiuus in igneum juxta Galenum 1. *aph. comment. 14.* conuertatur, non tamen re ipsa est ignis, sed quod talem febris habeat naturam vel quasi.

Ephemera vero appellatur ab ἐπὶ τῆς ἡμέρας *ad diem*, velut vnicum diem durans; quamuis & aliis deriuari videatur aliunde, fingentibus sibi allusionem quandam a φαίνω *lu-*

ceo

ceo & ἡμέρα *dies*. Quicquid horum ſit, nomen hoc ab *Hippocrate* iam vſurpatum antiquisſimum eſt, & non ſine ratione impoſitum; quippe febris hujus, autore *Galeno l. 9. M. M. c. 1.* vnicus eſt paroxyſmus, vtplurimum vno die ex ipſius natura circumſcriptus, vt terminum ſuum intra XXIV. horas abſoluat, nec facile vlterius protrahatur.

Inſuper ob analogiam temporis ſeu durationis, quam habet, πολύσημον eſt vocabulum, & multis rebus tam naturalibus quam præternaturalibus aliisque eſt *commune*. Imponi enim conſueuit ex rebus naturalibus & quidem primo in regno *Vegetabili* variis plantis. Sic *Dioſcorides l. 4. c. 84. & 85.* duplici plantæ tribuit, bulbo ſcil. agreſti, colchici, Zeitloſen / ſpeciei, quod fungorum inſtar venenatorum ſuffocet, vnde & *Theodoro* Colchicum hoc ſtrangulatorium dicitur. Alteri vero ſpeciei Iridis, quod vno die flores amittat, Ephemeron non lethale *Matthiolo l. 4. c. 8. Lobelio* vero ephemeron liliflorium audit. Sunt, qui etiam lilium convallium hoc nomine ſalutant. Inter exotica datur etiam planta bicapſularis, radice fibroſa floreque bipetalo, Ephemeron Virginianum denominata.

Porro ex *animalibus* deſignat Ephemerum animalculum, quod apud Hypanem fluvium, in Boſphorum Cimmerium fluentem, ſub ſolſtitio æſtiuo obſeruare licet, defert enim ille fluuius, referente *Philoſopho l. 5. c. 19. hiſtor. anim.* veluti folliculos acinis maiores, ex quibus animal volucre ac quadrupes erumpit, quod in poſtmeridianum usque diei tempus viuit ac volat, mox vero deſcendente ſole marceſcit & languet, occidente deinde moritur, vitam non vltra diem vnum agens, vnde Ephemeron ſeu hemerobion appellatum fuit. Huius deſcriptionem & ſectionem cum figuris *Thevenot, in ſyll. Itinerum*, habet & oſtendit, non naſci ſed prodire ex verme, in cœnoſis Rheni & Vahalis ripis per annos tres latitante, paucisque inde horis viuere. Conf. *Act. Lipſ. An. 83. p. 331.* Scripſit de hoc integrum tractatum, qui ephemerum depingit & ad hominis vitam moraliter applicat, *Schwammerdammius*, in aſſerua-

 tione

tione & collectione insectorum aliorumque animalium celeberrimus.

Tribuit idem nomen & culici vinario *Ælianus l. 2. de anim. c. 4. p. m. 73.* Animalia, *inquit*, ephemera idcirco sunt appellata, quod id ætatis viuunt, vt vno die cursum vitæ conficiant; ex fece enim vini acescentis originem trahunt, apertoque dolio, vt in lucem suscepta sunt, e vita excedunt.

Vsitatius vero nostro sensu prædicatur ephemera de rebus p. n. & quidem primario de febri nostra, quæ a tempore durationis proprie & κατ' ἐξοχὴν ephemera simplex seu exquisita dicitur. Improprie vero & latius paulo de synocha non putrida, seu ephemera plurium dierum, quatenus ex priori degenerans & producta naturam aliam haud subit, sed solum terminum ad plures dies extendit, gradu saltim differens.

Interdum vero & Hecticæ tribuitur, sed itidem ἀκύρως magis, ob analogum caloris vniformem decursum, vti *Helmontio l. de febb. c. 9. t. 23.* febris tabida siue hectica quædam est quotidiana diaria, a corrupta cibi parte, mox sumptis cibis repetens. Hanc ob causam etiam sudori Anglico ephemeræ nomen, licet cum addito malignæ, inditum, dum nimirum intra XXIV. horas cum sudore, vt ephemera simplex, terminata fuit.

Audit alias Græcis ἐφήμερος, ἐφήμερ☉ πυρετὸς, πυρεῖς, πυρίτιον, Latinis conuenienti quoque vocabulo *Diaria* vel febricula dicitur, *Celso* quæ semel tantum accedit, deinde desinit. German. ein subtil / eintägiges Fieber / *Platerus* Carfunckel nominare amat, quod tamen nomen apud nos saltim minus in vsu est.

CAPUT II.

De

Definitione Reali & Subiecto.

PRæmissa nominis explicatione ad ipsam ephemeræ DEFINITIONEM realem progredimur, quæ sequentibus commode

de poteſt abſolui, quod ſit *calor leuius efferatus in toto, a fermento rarefactiuo occaſionali, facile ſubiugabili, in maſſa ſanguinea exortus,*

Generis locum merito tuetur forma ſeu eſſentia, in quo conſiſtit & quo poſito ponitur febris, quod conſtituit calor efferatus in toto. Presſius enim paulo dicit intemperiem calidam vniuerſalem, ſiquidem intemperatum adeſſe calorem & humidi conſequenter ſubdominium per efferationem ſimul innuitur. In eo autem formalem rationem febris conſiſtere non eſt vt multum contra diſſentientes probemus, cum febris ſine calore concepta, revera ſit non ens. Eſſentiale enim febris requiſitum a *Galeno l.1. de diff. febb. c.3.* propoſitum, eſt calor p.n. ſeu modo & gradu in corde aſcito naturalem excedens, & per totum corpus delatus, & huius indiuiduus comes pulſus citior ſeu naturali celerior. Quæ ipſa adeſſe, ſenſus & querela ægri, phænomenaque ſufficienter teſtantur.

Calor hic efferatus omnino eſt morboſus, contrarius enim naturali, qui in calore blando, ſanguinis & ſeri miſcela, proportione & motu æquabili conſiſtit; vbi vero a ſtatu naturali deflectit, ſeu modo & gradu ſuperaddito excedit & præternaturalis fit, non amplius blandus manet, ſed efferatur.

Efferatus hinc eſt principaliter ad intra, in radice & centro, effectiue magis ratione fontis ac originis, omnis enim calor vt naturalis, ſic & præternaturalis in radice vitali ſeu corde quærendus. Hinc complectitur ſimul calor efferatus quoque ſanguinis motum turbatum, mutationemque caloris magis radicalem. Idem in effectu eſt ac archeus irritatus, accenſus, efferatus; indignatio ſiquidem ejus non contraria eſt calori efferato. Cum enim actionum in corpore præſides ſint ſecundarii ſpiritus, ſeu archeus, ſequitur his turbatis ac efferatis etiam lædi actiones ſecundum naturam, quæ læſio & impotentia vt in omnibus morbis, ita & hic in archeum redundat, vt conflictetur, repugnet & indignetur. Efferatur item ratione qualitatis & gradûs; eſt quidem idem calor numero & ſpecie, non ἄλλος a naturali, ſed ἀλλοῖος, gradu a-

ſcito

ſcito immutatus, qualitate alterata & intenſa præter naturam, dum naturalem harmoniam tranſcendit, improportionatus ſic redditur vitæ incolumitati, hinc læditur ſanitas, archeus, & actiones exercendi ſecundum naturam potentia.

Efferatus porro dicitur adæquate ad extra, ſeu in toto, affectiue magis, partibus enim extimis & toti corpori internus qualitatis calidioris ſtatus communicatur & inducitur. Et licet horror major vel minor præcedens, tanquam contrarius calori, obſtare videatur; aliud tamen eſt initium ipſius conflictus, aliud paroxyſmus, ſeu febris ipſa potius. Primo impetitur calor, & concentratur, hinc inſurgit & diffunditur, adeoque in vniuerſo habitu, capite, lingua, oculis, manibus, pedibus, intemperatus ſtatus caloris patet. Hinc & in centro ſuo ac radice exerit ſe præcipue calor febrilis, & in ambitu diffuſus.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM abſoluit genius febris ephemeræ, qui conſiſtit in gradu efferationis reſpectiue minori, quod calor ſit leuius efferatus, ſeu leuis & mitis. Communem quidem ſortem habet hæc cum aliis febribus, quod ad ignem accedat & efferatus extraneus & peregrinus ſit nativus calor, ſed in eo differt, quod ejus energia ac euidentia variat pro differentia ipſius intemperiei. Hinc in ephemera non adeo vrens, vt in cauſo, ac putridis aliis, quia ſimplex caloris hic accenſio citra corruptiuam infectionem humorum, a qua vtplurimum acris & moleſtus ſentitur, ſed adeſt caloris reſpectiue ſuauitas, quæ a *Galeno l. 1. de diff. febb. c.* 7. proprium ac inſeparabile huiusmodi febrium dicitur indicium, conueniens omni, ſoli ac ſemper; vnde & *Ebnſina l. 4. fen. 1. Tr. 1.* calorem ſcribit non eſſe acrem, nec mordacem, ſed talem, qualis caliditas corporis laborantis & ebrii.

Notio ergo huius febris ſpecialis patet 1. a *priori*, ratione cauſæ, quod ſit occaſionalis, nam ephemera ſupponit cauſam procatarcticam, ſed non contra, quod *Galenus* teſtatur, cum *l. 1. M. M. c. 4.* aſſerit, vnum ac præcipuum diariæ eſſe indicium, ab aliqua cauſa prægreſſa incepiſſe, recenti ac euidenti, quam medici appellare conſueuerunt procatarcticam, id quod tamen de

de simplici & exacte tali ephemera intelligendum, minus de symptomatica. (2) a *posteriori*, accidentali febris constitutione, a duratione & tempore ratione typi. Mos enim huius febris ad extra est, quod breui decursu suum consequatur terminum, quod ipsum innuimus, addito, facile subiugabili. Est quidem febris suo modo continua, indesinenter enim affligit, nec interiectam habet pausam; ast quoniam causa occasionalis non tam firmam impressionem intulit, & fermentum inductum ab ea minus est tum mole, tum virtute, facile a natura subigitur & euanescit, vt efferatio exinde enata caloris leuis ac transitoria saltim persistere queat.

Jam ad SVBIECTVM deuoluimur, quod ipsum, vt eo clarius pateat febris nostræ focus & locus, diuidere licebit in proprium & commune, seu subiectum causæ & morbi.

Svbiectvm Cavsae alias dictum inhæsionis & radicationis, vbi minera morbifica residet ac stabulatur, est massa sanguinea, communis febrium nidus. Nam cum omnis temperies a spiritibus, sanguine & sero, vtpote humoribus radicalibus & similaribus, scaturiat & in iis fundetur, necesse est & intemperiem h. l. febrilem eos habere pro subiecto suo, siquidem febris prius se exerere nequit, quam per massam sanguineam causa in ea latitans demum communicetur cum corde, & huic eius effectus inseratur, calorque sic innatus turbetur, exasperetur & flammam concipiat.

Communi suffragio subiectum causæ statuuntur spiritus vitales, quod spiritus sit pars sanguinis tenuissima & exhalabilis semper, vt subinde de nouo generari opus habeat: cum vero febris huius periodus breuis sit ac diaria saltim, fieri non posse, quin subiectum eius quoque cito sit difflabile ac alterabile, hinc radicari eam in spiritibus magis, nondum fermento corruptiuo seu putredine massam sanguineam infectam. Hoc quidem sano sensu verum est & concedi potest, si intelligatur de gradu minori & affectione magis superficiaria, quam centrali, transeunte quam immanente, cum citior motus spiritibus imprimatur, & ab his inferri soleat; Ast

ſi a ſanguine diſtinctos & abſtractiue ſumptos intelligas, facilis ſit confuſio. Humores enim ſimul pati ex motu ſanguinis & pulſu concitatiori caloreque vaporoſo ſeu inſequente ſudore liquet, unde merito pro ſubiecto cauſali maſſa ſanguinea habenda, & ſic ſpiritus in concreto cum ſanguine ſumendi, cum calidum innatum & humidum radicale, vt & ſpiritus vitalis nullus detur, & in rei veritate nil aliud ſit, quam ſanguinis & ſeri ἐνέργεια ac juſta diſpoſitio. A potiori vero partem ſanguinis ſubtiliorem ſpirituum nomine venire hodie in confeſſo eſt.

Helmontius quidem *de febb. c. 9. t. 23.* & *c. 10. t. 7.* ephemeræ ſubiectum ſtomachum ſtatuit, vbi vult illam in eius cauo plerumque ex vitiato cibo ſedem habere, quod eo probare conatur, quod facile vomitu peracto ceſſet; ſed hoc ſubiectum nimis eſt remotum, & non concedendum, niſi ſit a cruditate & repletione ciborum & chyli cum maſſa ſanguinea hinc communicata; & ſic motum tumultuantem & peregrinum calorem inducente.

SVBIECTVM MORBI eſt duplex, vnum particulare, PRINCIPALE alias dictum, vbi febris ſe exerit primo, quod vt in genere ita & hic in ſpecie COR agnoſcitur. Illud enim affici primario in omni febre neceſſe eſt, ſiquidem non poteſt calor præternaturalis effundi aliunde in vniuerſum corpus, niſi a corde, quod fermento peregrino incaleſcit prius. Enimvero, cum febris natura in caloris intenſione conſiſtat, nulla febris fieri, multo minus dici poteſt, calorque reddi efferatior, niſi in corde tanquam caloris fonte accenſa & ſuborta ſit, puta cum ſanguine ſumpto, quæ cauſæ ſociæ merito ſtant pro vna. Febrem autem cor proxime ſuſtinere ex actionibus eius læſis, calore ſcil. & pulſu præternaturali, colligi poteſt luculentisſime.

Alterum vero ſubiectum VNIVERSALE, ſeu ſecundarium, quod & ADAEQVATVM audit, quouſque ſe extendit ac penetrat calor febrilis, eſt totum corpus, quatenus miaſma fermentificum ac febrile, mediante ſanguinis circu-

lo, per arterias cum omnibus ac ſingulis corporis partibus communicatur ac infertur, inque illis varie actiones lædens, ſenſibus ſe offert.

CAPVT III.

De

Cauſa immediata & mediata proximiori.

Miſſo ſubiecto, vt CAVSAS jam luſtremus, ordo expoſtulat. IMMEDIATAM hanc & proximam dicimus eſſe rarefactionem fermentificam vitioſam, ſeu expanſionem & motum improportionatum humorum vitalium. In ſtatu enim corporis naturali ſanguis & ſerum, tanquam liquores vitales balſamici, calorem & vitam præbentes, blande in vaſis decurrunt & mouentur, ſuauiterque partes afficiunt. Cum vero particulæ ſanguinis ſulphureæ oleoſæ volatiles & ſeroſæ, ob agitationem fortiorem & fermentationem præternaturalem, expanduntur, rarefiunt plus juſto, exaltantur, maſſa ſanguinea turbatur, ebullit & motum ferociorem ſubit, quibus ſic in perpetuo motu irrequietis & agitatis calor intenditur, efferatur, moleſtus fit & actiones lædit, e natiuo blando in igneum febrilem, ex fouente in depaſcentem degenerans.

Non abludunt adeo, quin ad bonum ſenſum facile trahi poſſunt, qui cum *Helmontio* inculpant archeum furibundum, febrimque accerſentem, neque enim ſibi morbum fabricat aliter, quam ab obiecto improportionato, eiusque imperio ſic non relicto integro; qui item turbatam mixtionem ſanguinis accuſant, quo ipſo paulo remotius exprimitur eſſentiale febris, citra modi notionem, in quo turbatio conſiſtat.

Rarefactionem hanc febrilem fouet CAVSA MEDIATA PROXIMIOR, fermentum h. l. occasionale & facile subiugabile. Omnes vero febres a fermento & quidem peregrino alterante & mouente, vno verbo turbatiuo, oriri necesse est. Posita enim in omni febre caloris intensione, œconomia & circulatione sanguinis turbata, causa redundat in archeum, seu motorem primarium. Quoties igitur in eius sacrarium infertur peregrinum quoddam inæquale, aduersum, improportionatumque massa sanguineæ, & qualitas, seu modus miscelæ, κρᾶσις, & motus, & consistentia sanguinis turbatur, vnde archeus irritatus insurgit luctamque init cum eo, idque expellere conatur. Per fermentum autem intelligitur obiectum aliquod heterogeneum inæquale, quod miscelam & crasin sanguinis turbat ac disiicit, adeoque naturamque impetit ac irritat.

Adesse vero fermentum a priori patet, quod constet particulis heterogeneis salino-sulphureis, simulque elasticis, quod tertium fermentum specifice denotat & ex prioribus duobus emergit principiis. Salium enim ac sulphuris inæqualis miscela ac concursus contrarius inducit fermentum, vt sic in omni fermentatione hæc duo vtramque absoluant paginam. Principium vero actiuum primum salinum apparet in fermento, dum sulphur & h. l. vitale sanguinis balsamicum, varie resoluere, expandere, in motum citare & destruere valet; sulphureum vero alterum, quatenus a salibus agitatum & exaltatum, sanguinis motum alterat, & in corde penitus euolutum & accensum, deflagratione sua calorem innatum simul efferat, quod testatur æstus abundantia.

A *posteriori* porro liquet, quod sit propagatiuum sui ac immutatiuum, ne dicam sæpe destructiuum, vtpote proprium & essentiale omni fermento. Dum enim hæc principia se inuicem acuunt, rarefactionem fermentificam peregrinam toti massæ inferunt. Hinc lympha incoquitur & difflatur, sanguis incrassatur & acrior feruidiorque consurgit, verbo, inquies & efferatio caloris, sicque febris oritur.

Quale autem illud sit h. l. breuibus in genere dispiciendum.

Sci-

Scilicet *inæquale* eſt, ob principiorum heterogeneitatem, cum particulæ inæquales cum ſanguine & ſero minus miſcibiles, nec vniri, aſſimilari & concordiam humorum conſeruare aptæ, hinc turbas mouent, confuſionem & ſanguinem nimis diſcontinuando rarefactionem pariunt.

Eſt porro *occaſionale*, hinc inductum magis quam in ſanguinis vndis conceptum. Impellunt enim ad hanc febrem corpus inprimis diſpoſitum errores diætæ, ſeu res non naturales vitioſe vſurpatæ, quæ reuera ſunt occaſiones tales externæ, & ſic euidentes & mox manifeſtæ, qualitate calida & motu magis peccantes, fermentifica humorum ἀκρασία inde concepta, materia vero minori materia vero minori magis diſſipabili, volatili & tranſitoria. Hinc non immanens eſt fermentum, hoc loco, ſed *tranſiens* & *facile ſubiugabile*, quatenus qualitas impreſſa haud difficulter ex ſubiecto ſuo ſe expelli permittit, nec ſanguinis maſſa illam ſeruare diu poteſt, denuo ſemper regenerata alterataque a natura, ſublata inprimis, ſtatim ac orta febris, moderatave illius cauſa, breui ſic, ſaltem durante conflictu & ἐπισημασίᾳ febrili, permanens.

Qui aliis terminis vtuntur, ſeu acidi, ſeu venenoſi quoque, re ipſa nil niſi fermentum tale immutatiuum intelligunt, neque difficulter conciliari & ad bonum ſenſum trahi queunt. Vt vero melius hæc pateant, liceat nobis ex re ipſa probe conſiderata ſtatuere eſſe ephemeram, non minus ac eryſipelas, primum modum & gradum, ſeu ſpeciem febrium continuarum, leuiorem puta; cuius affinis eſt & ſymbolicum tum eryſipelas, tum ſynochus; illa differentia inter alia, quod eryſipelas a cauſa magis interna, ephemera a cauſa magis externa vel quaſi tali oboriatur, ſynochus medio modo ſe habeat; fieri vero ephemeram a fermento bilioſo lymphæ illato, potiſſimum a ſpiritibus fortius agitatis & motis, quod ex ſequentibus patebit. Ita vero omnia facili negotio liquent.

CAPUT IV.

De

Caussis mediatis remotioribus.

CONsiderandæ hinc veniunt CAVSAE MEDIATAE REMOTIORES, quas diuidere licet in προηγουμένην, *antecedentem*, dispositiuam, & προκαταρκτικὴν, seu *occasionalem*. Prior illa non penitus excludi potest; cum enim omne agens agat ad modulum receptiuitatis subiecti, consultum omnino est illam quoque attendere. Complectitur vero RES NATVRALES, quæ sunt modi ac dispositiones tales internæ, in temperamento, habitu corporis, ætate &c. locatæ.

Inter TEMPERAMENTA & huc facit *sanguineum* & *cholericum*, seu seorsim, seu coniunctim, in statu mixto, spectatum, qualis enim modus sanguinis & seri, talis sanitas, & contra. Etsi enim in illo sanguis & serum, seu particulæ oleosæ balsamicæ & humidæ & volatiles, quantitate & qualitate se inuicem probe temperent; attamen cum facile excedat, humiditate præcipue, facilis hinc via est ad putredinem & accensionem febrilem; vid. D. *Præs. Physiol. med. sect. 2. c. 11. p. 82.* Visendum id in plethoricis, vbi si sanguini exuperanti & copiæ vaporum nulla datur porta, subnascitur facile ebullitio præternaturalis, & motu maiori illato calor sic intenditur. Nullum quoque magis temperamentum febri huic velificatur, quam *cholericum*; hoc enim ob particulas sulphureas volatiles intensas, humidis vero blandis depressis, bilis generationi, indeque humorum exæstuationi præprimis inseruit, siquidem fuligines calidæ & siccæ, vt tenuiores & mobiliores, colliguntur, cumulantur & acriores fiunt, conceptoque feruore (dum in se inuicem furere coguntur, substrato in quod alias agerent humido insufficiente,) promte accenduntur. Hinc biliosi ad efferationes eiusmodi magis propensi sunt, si inprimis diutius jeiunent vel vigilent,

vel

vel exerceantur, aut simile quid, vt excandescentia, ipsis accidat, quod calorem exasperare & spiritus accendere valet. Vid. *Sennert. l. 1. de febb. c. 6.*

Nec abnuit HABITVS CORPORIS densior & obesior paulo, vbi meatus angustiores cutisque strictior & siccior, vnde per insensibilem transpirationem fuliginosæ superfluitates ad exteriora mitti nequeunt, quæ igniuntur quasi, coaceruantur, & accessione obstetricantis causæ alius acuuntur. Inter AETATES inprimis juniores & adolescentes facilius hanc febrem incurrunt; vtpote qui calidioribus ac feruidioribus abundant humoribus & magis ad ebullitiones inclinant, ob quam causam & quandoque senes quoque illam experiuntur. Vid. *Forest. l. 1. Obs. 3. Schol.*

Sic & *Influxus Astralis* vel ἰδιοσυγκρασία lymphæ suum contribuit, siquidem, teste *Plinio N. H. l. 7. c. 51.* & *Val. Max. l. 1. c. 8.* Antipater Sydonius Poeta, omnibus annis, vno die tantum natali, correptus est febre, & eo consumptus est satis longa senecta, certo illo circuitu morbi. Facit huc exemplum, quod *Rhodius Cent. 1. obs. 2.* de Viro religioso Patauii degente refert, illum scil. certo certius sequenti die inuadebat ephemera, quoties per quietem pridie sibi visus fuisset pane candido in jure intrito clinicis panatella vesci. Natura forsan huic alimento per morbum ipsi familiarem adsueta, quoties infestabatur, hac rei præteritæ velut imagine sensum excitauerit.

Sed maxime attendi merentur CAVSAE NONNATVRALES, quarum data occasione externus error dispositionem in actum magis deducere potest, quas communi ordine, ratione modi agendi & afficiendi, quatenus prauo vsu, excessu vel defectu, positiue vel priuatiue peccantes, corpus alterare & destructionem inferre valent, enumerare licet, diuidendo eas in internas & externas, seu, vt *Galenus* loquitur, quæ foris adueniunt & quæ a nobis ipsis proficiscuntur; illæ sunt aer, cibus & potus, hæ vero reliquæ. Inter has primus AER intemperie sua febrilem hanc inuitat. Præstat id calidior, moleculis sul-

phureis

phureis in motum agitatis, hinc & inspiratus per pulmones, & ambiens vi sua elastica ac expansiua sanguinem attenuans, eiusque circulum accelerans, lymphæ moderamen excutiens, & difflans plus justo, nimiam humorum rarefactionem inducens, adeoque corpus dissoluens, & morbificus euadens. Accidit hoc præcipue si iter, vel ambulatio diuturnior in solis radiis, tempore diei vel anni calidiori, instituatur, vnde & in Hispania, aliisque locis zonæ torridæ vicinis frequentior obseruari solet. Faciunt huc quoque ventus australis, calor balnei inprimis Laconici, & thermæ, longius administratæ.

Idem, licet alio modo & infert frigidus nimis, quandoquidem poros cutis constipando transpirationem sufflaminat, & lympham restagnare facit, vapores vliginosos facile fermentatiuos retinet, & sic euentatio ne lymphæ prohibita, tota massa conspurcatur, turbatur & flammam concipit, non aliter ac flamma, nisi ventiletur aere, in se ipsam agit & opprimitur, fortiorque euadit, licet hoc modo vix diu subsistere possit. Hinc ob ventilationis defectum densius agglomerantur particulæ, & incalescunt, non alia ratione ac fœnum nimis madide repositum, ob ventilationem prohibitam, particulis inde sulphureis a mixtione solutis sponte incendium recipit; sic & massa sanguinea, exaltatis jam particulis sulphureis ac efferuefactis, ebullit, aque crasi naturali tandem nimis immutata versus putredinem tendit. vid. *Willis. de febb. c. 7.* quod inprimis in degenerante in putridam videre est. Hinc qui per loca niuosa ambulant vel immergunt corpus aquis frigidis, stypticis, aluminosis, tophaceis, gypseis, quæ de leui obstructiones inflammatorias producunt, facile in febrem hanc incidunt.

Succedunt huic in ordine CIBVS & POTVS, nocentes improportione quantitatis & qualitatis; illa iterum vel in excessu & positiue, facta nimia repletione, vel inordinata & vitiosa varietate ciborum, cruditates, obstructiones & varia fermenta generare apta, vt hinc cruditas nidorosa oriatur, vel pitritosa indeque diaria, autore *Tralliano l. 12. c. 1. p. 673.* & *678.* Sic quoque a nauseabunda satietate & ebrietate, nimium ingurgi-
tando

tando vini præcipue generoſioris, ſulphur inflammabile peregrinum cum lympha communicatum & a calore actuatum largius accenditur febrisque inducitur. Vel in defectu & priuatiue, inanitione ex fame & ſiti, lympha enim ſic plus juſto exhauſta, calor innatus, dum nihil vehiculi alimentique habet in quod agat, efferatur.

Qualitas vero aſſumtorum potiorem cauſæ ſubit rationem, ſiquidem quæ calidioris ſunt naturæ & bilioſæ, rarefactioni velificantur, lymphæ φλόγωσιν fermentificam & elaſticitatem maiorem inducunt, ſulphur ſeu particulas oleoſas & ſalinas volatiles ſanguinis augent & intendunt, calorem efferant, tale enim additum tali illud magis reddit tale, etiam vt h. l. cum noxa. Hinc toto die ephemera gignitur ex cibis calidioribus potuque generoſiori & ſpirituoſiori, vt ſunt vinum Hiſpanicum, ſpiritus vini, aromata, piperata, medicamenta calidiora & acria, olea deſtillata, mel ipſum, de quo *D. Præſes* exemplum obſeruauit, quendam ex melle largius paulo aſſumto, calore per 24. horas intenſo correptum, donec iterum moti fluctus conſiderent. Similiter cibi acriores, vt ſunt allium, cepæ, naſturtium &c. ſi abutaris eis, facile feruidiorem ſanguini inducunt ſtatum, idem etiam dictum eſto de medicamentis. Obſeruauit aliquoties *D. Præſes* ab aſſumptis purgantibus, in tenerioribus & rarioris paulo habitus corporibus, etiam citra hypercatharſin, obortam ephemeram, euacuata paulo largius lympha, motu peregrino maſſæ ſanguineæ inducto. Sic & extrinſecus admota medicamenta acria, cauſtica, vt veſicatoria, dropaces, ſinapiſmi, vrticationes, ſpicula ſua fibrillis nerueis infigunt, ſanguinem in poris morantur, lympham acriorem reddunt, calorem excitant & exaſperant.

Somnus quoque & Vigiliae, lymphæ & ſpirituum alternationem diſpenſantes, huc faciunt. Somno quippe nimio ligantur ſpiritus, obnubilantur, immerguntur que penitius humoribus, vtrisque inde, motu ſufficienti ceſſante, vegetis alias, torpor infertur, inſimulque, ob impeditam alimenti diſtributionem plenariam, & digeſtionem retardatam, collecti recrementitii humores facile fermentum concipiunt, vt hinc febris ephe-

mera oboriri possit. Exemplum ephemeræ a somno meridiano allegat *Rhodius Cent. 1. Obs. 3.*

E contrario & VIGILIAE immodicæ, & lucubrationes nimis diu protractæ, corpus ad flammam promtius concipiendam haud exigue disponunt, dum spiritus, & cum iis lympham ad functiones necessariam, qui nunquam otiosi sed assidue agunt, nimium insumunt & eliciunt, si maxime studiis simul seuerioribus impenduntur. Resolutis sic iis & a coquendi munere aliorsum auocatis, digestio in primis viis languere incipit, chyli euolutio & distributio impeditur, inde humores fiunt acriores, bilis & cruditates adaugentur, corpusque exiccatur, spiritus vero ob continuam agitationem & absumtionem feruidiores redditi exasperantur & efferantur, sicque facile massæ sanguineæ inordinatus motus ac exæstuatio inducitur.

Par ratio est MOTVS corporis, qui si vehementior, cum violentia, fatigatione & lassitudine, transcendens εὐφορίαν, vires exoluit, spiritus in motum impetuosiorem citantur, qui humores partim difflant, partim ebullitione concepta cum spumosa rarefactione in maius spatium ampliari cogunt, non secus ac vina & spirituosa de leui quauis occasione vel motu calefacta, aut dolio strictius inclusa, feruorem concipiunt, elogio *Willis. l. de febb. c. 8.* Sic, syrio inprimis vrente, exercitiis corporis variis, vt equitationibus, saltationibus, pugilationibus &c. immoderate vacando, concitatior motus & feruor insolitus infertur spiritibus, qui, in corde expansi & rarefacti nimis, exinde motu rapidiori in totum corpus deferuntur, illudque exæstuare faciunt, & sic ephemeram accendunt. Sic quidam fortius per pedes tempore æstiuo iter faciens, per totam noctem sensit calorem insignem mane iterum cessantem, obseruatore *D. Præside.*

QVIES vero diuturnior & otiosa nil nisi cruditates parit, siquidem corpori motu conueniente denegato humorum circulus retardatur, calor vegetus obtorpet, restitant hinc excrementa fuliginosa, digestione minus rite absoluta, coaceruata, impuritates massæ sanguineæ, ventilatione haud concessa, infe-

runt,

runt, quæ postmodum motum intestinum turbulentum seu fermentationem præternaturalem facile promouent.

Excreta porro & retenta dum naturæ legibus minus respondent, non minorem conferunt culpam. Cum nimirum magis vtilia nimium quantum excernuntur, causæ priuatiuæ faciem induunt, spiritus & humores depauperant, viresque absumunt. Sic ab euacuatione nimia per sudorem, venæsectionem, purgantia δραστικὰ fortius operantia, hæmorrhagias quascunque largius fluentes, lympha ac sanguis magis quam par est exhauriuntur, reliqua massa hinc magis improportionata reddita, spiritus & pulsus citantur, calor efferatus, verbo, febris oritur.

Si vero inutilia retinentur excernenda, massam sanguineam conspurcando fermentum febrile inducunt. Sic ἀδιαπνευςία, ex obstructione pororum cutis, effluuia calida & sordida, sudore separari solita, cohibet, siue a stipante frigore externo aëris vel balnei, siue ab inuiscantibus sordibus cuti impactis orta, vnde particulæ facile fermentescibiles sanguini nuptæ, tumultuariam rarefactionem pariunt. Deficientibus mensibus, suppressis lochiis in recentibus puerperis, & lacte in mammis collecto & coagulato, febris lactaria & diaria sæpissime fit, quæ pro re nata ad aliquot dies producitur. Spectat huc venus largior & immodica, sæpenumero ephemeram excitare solita.

Animi tandem Pathemata quantum ad febrem hanc producendam possint, claro clarius est, siquidem in spiritus & humores immediatum & summum quasi gerunt imperium, quibus excessive alterando, eos vel exagitando vel concentrando, facile labem inferunt. Inprimis ira, quæ veluti feruor & excandescentia sanguinis & febris quasi ipsa est, resolutis & dissipatis nimis in ea spiritibus caloreque cordis efferato, sanguinis ad exteriora motum fortius citare ac commouere facit, quod & in gaudio, licet minori vehementia, accidere solet. Tristitia vero, timor, mœror, curæ & solicitudines spiritus circa cor retinent, deprimunt, coagulant, suffocant, e quibus fermentum occasionale in lympham deriuatum efferationem promptam progignit. Terrore quoque incusso, a peri-

pheria ad centrum repentino recursu ibi reuocatis spiritibus & humoribus, iisque coarctatis vis vnita quasi fortior euadit, vt hinc exæstuare & flammam suscipere facile queant. Exemplum proprium allegat *Ant. Beniuen. l. de abd. morb. & san. caus. c. 62.* ex terrore flammæ e pauimento prosilientis iniecto. Plurimorum horum exempla vel apud *Galenum* abunde passim congesta & obseruata leguntur, nedum apud alios, vti & *Ebnsina* plurium talium casuum, vnde oriatur, seorsim meminit.

RES denique PRAETERNATVRALES in censum quoque causarum veniunt, sed ephemeras fere nothas magis & symptomaticas quam exquisitas generant. Primo loco obstructio laudanda, quæ vel interna seu cacochymica; cujus mentionem facit *Galenus l. 8. Meth. med. c. 4.* a succis scilicet vitiosis & impactis multis crassis transpiratione prohibita retentis; vel externa, pororum cutis, de qua *l. de tuend. san. c. 3.* scribit: vapores occlusi incendium suscipiunt facile ac diariam producunt. Deinde inflammationes partium leuiores ephemeram pariunt, siue sint simplices & benignæ, vt ex erysipelate frequenter accidere solet; siue simul complicatæ cum tumore & mali moris, sine vlcere tamen manifesto, eæque vel in locis externis, pluribus glandulis refertis, vt in bubonibus, teste *Galeno ad Glauc. de art. cur. c. 7.* Hinc sæpe tonsillæ intumescentes, ob lympham inæqualem & fermentificam redditam, febriculam talem citant. Sic & ex mammilla inflammata diariam subortam vidit *Forest. Obs. 6. l. 1.* idem de furunculis, & tumoribus partium aliarum calidis valet. Id quomodo fiat, per sanguinis & lymphæ circulationis leges hodie concipere perfacile est, abreptis cum refluis humoribus particulis fermentatiuis & cum fonte suo communicatis. Vel locis internis & viscere nobili ac propinquo cordi, quod si inflammatione laboret, suscitari febriculam talem leuem & diariam non posse, nemo inficias facile ibit.

Fit quoque, vt a lipothymia, v. g. a terrore orta, subsequatur ephemera, spiritibus prius concentratis & dispersis, hinc penitius insurgentibus & agitatis, donec in ordinem redeant eluctati remoras in grumescentia lymphæ positas. Dolores

iti-

itidem harum vel illarum partium febrem hanc accendere possunt, quatenus ille spiritus continuo irritat, & juxta cum lympha citatius impellit, vnde & vigiliæ & turbationes animi enatæ calorem efferant. Sic dolor colicus, hæmorrhoidum, furunculorum, nephriticus, a pernionibus, ab ambustis ephemeram excitare solet. Par ratio est vulnerum & fracturæ ossium, aliarumque læsionum dolorificarum; dolor nempe concitat spiritus, & hi simul humores. Sic & hæmorrhoides suppressæ fermentationem sanguini febrilem diariamque efficiunt. Coryza ipsa & catarrhi acres salsi ephemeram producere possunt, lympha nimirum exasperata & fermentifica reddita. A vermibus quoque ipsis varii generis excitata visa fuit.

CAPUT V.

De Differentiis.

ENucleatis jam causis, supersunt DIFFERENTIÆ, quarum cognitio cum diagnosin & therapiam facilitet, ad eas nos nunc accingemus considerandas.

Ratione FORMAE seu generis, & quidem quoad speciem, alia ephemera est *primaria*, sibi relicta, solitaria, affligens per se, quæ antecedit putridam & hecticam, quatenus a causa occasionali euidenti, seu rebus nonnaturalibus minus congrue vsurpatis, oritur; alia *accidentalis* & *symptomatica*, quæ alii morbo accidit, vel sequitur inflammationes particulares, seu a rebus præternaturalibus, vt bubonibus, doloribus magis orta.

Complicata alia ac comitata, quam vna stipant symptomata alia. Talem statuere possumus dari in erysipelate, doloribus dentium, ipsaque arthritide & podagra, quod *Helmontius l. volup. viuent. morb. t. 14.* affirmat, vbi aciditatem podagræ causam inculpat, hinc fit, *inquit*, quod natura persentiens illam aciditatem in spiritu, quam concepit ex semine seu charactere podagrico, confestim excitet febrim ephemeram ante podagræ accessum,

Quoad *normam* seu durationem, alia est *exquisita*, simplex, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν, citra adjectionem, ἐφήμερος proprie & absolute sic appellatur, & re & nomine talis est, quæque normam & naturam febris ephemeræ exacte tenet ac obseruat, nec vltra diem naturalem extenditur, de qua potissimum agimus. Alia vero *minus exquisita* & magis degenerans & extensa seu spuria est, quæ cum additione, plurium dierum, ephemera improprie seu πολυήμερος πυρετὸς vel ἐκτεταμένος dicitur, quæque quodammodo re sed non nomine cum priori conuenit, quatenus ad plures dies durat & communiter synocha imputris audit.

Quoad *morem* seu genium, alia est *benigna*, mitior, qualis communis illa simplex & exquisita, salutari sudore judicanda. Alia *grauior* & ferocior, complicata grauioribus symptomatibus, vti est syncope. Aliam *Rhodius obs. 1. c. 1.* notat, cum dolore capitis, vigiliis, deliriis & compressione pulsuum, aliisque signis a priuata corporis dispositione adeo horrendis, vt maligna videretur, semper tamen a robore naturæ largiori lotii profluuio solutam. Alia *maligna* & pestilens, mali moris, quæ vltra sphæram intemperiei simplicis symptomatibus prauis gaudet, vnde & quandoque epidemia magis ac contagiosa, qualis videtur fuisse ἱδρωτικός, sudor ille Anglicus dictus, qui etiam intra 24. horas sudore solutus, morteque vtplurimum terminari solitus fuit, conjuncta lymphæ fermentificæ spiritibus infesta malignitate. Ex quo etiam fluit, ratione *temporis* aliam esse *indefinitam*, aliam *periodicam*, qualem *Borellus Cent. 2. Obs. 100.* meminit, quæ singulis trienniis castrensem causidicum eodem tempore detineri solita est.

Ratione SUBJECTI, alia est *essentialis*, fitque in corde accensa lympha ac spiritibus primario, vt ex animi affectibus & aliis rebus nonnaturalibus; alia est per *consensum*, aliunde communicato feruore, ex inflammatione, dolore partium aliarum, abscessu, tumore, luxatione, vulnere &c. laudatis.

Ratione CAUSARUM, totuplex est, quot causæ illam progignere obseruantur. Tangemus vero solum, aliam esse a

cau-

causa positiua, a materia fermentifica lymphæ illata, vt ab ebrietate; aliam a causa *priuatiua*, calido efferato intensius per humidi absumtionem, euacuata plus debito lympha, tanquam vehiculo & inuolucro spirituum, ut a purgantibus &c.

Ratione *notarum differentialium*, differt ac distinguitur partim gradibus subordinatis a se inuicem, partim reliquis febribus. Sic nomine & gradu saltim a synocha imputri, a putridis vero aliis typo & a posteriori saltim differt. Tacemus alia, quæ ex superioribus clarent.

Capvt VI.

De *Signis Diagnosticis & Prognosticis.*

AD curationem priusquam nos conuertamus, SIGNA vt penitius eruamus ephemeram testantia, & cognitionem ejus planiorem plenioremque inferentia, debito tenemur jure. Cognitu quidem prima fronte non videtur admodum difficilis, verum accuratius & certius a posteriori, cessatione illa breui, noscenda.

Imminentem præsagiunt signa cum aliis febribus communia, seorsim procliuis corporis in eam constitutio, ratione temperamenti habitusque corporis, consuetudinis; & maxime ipsæmet causæ procatarcticæ prægressæ. Saltim vbiuis cauendum quoque, ne illis positis vel prægressis vt febris alia, ita & ephemera fiat, cum reliquis non confundenda.

Præsentem vero significant & notant essentialiter inhaerentia, vtpote signa inseparabilia & propria seu pathognomica, quatenus nimirum morbi essentiam absoluunt & indicant, cumque eo necessario cohærent, ideoque mox in principio adsunt, semperque affectum vsque ad finem comitantur, verbo, formale morbi.

Si-

Signum igitur essentiale ratione vocis geminæ febris ephemeræ duplex hoc loco esse potest, commune & proprium. Commune cum aliis, est calor febrilis, latius sumtus, cuius conditio consideranda (1) ratione modi inuasionis, statim enim a principio incipit, totus repente accedit, æquali gradu permanente, cum absentia sensus rigoris extremitatum, quod ordinarie fit. Quandoque tamen coniungitur, sed leuis saltim, ab ἀδιαπνευστίᾳ, vel frigore, idque duntaxat cum cacochymicum corpus exspirationem multam eamque calidam & acrem diffundit, quæ, ob cutem a frigore densatam, aut ob exilium meatuum constipationem, suppressa ferit partes neruosas, vel causa quoque priuatiua exorta, & hoc extraordinarie magis. (2) Ratione motus, inseparabile quoq; indicium inquit *Galenus l.1. de diff. febr. c.8.* est æqualis & liber ascensus in caliditate & pulsibus simul; non tamen proprium, quamvis his maxime insit, cum & aliis quibusdam commune, (nempe synochis & hecticis, in quibus etiam calor æqualiter, neque cum rigore inuadit) sicut etiam consistente febre mediocritas.

Proprium vero, quod ephemeræ præcipue conuenit, est calor obseruandus ratione qualitatis, est enim mitis ac suavis, respectu aliarum febrium, non tactu acris, sed halituosus, absque mordicatione & punctura, vti in putridis, sed talis, qualis in exercitatis valde, iratis ac ebriis deprehenditur. Denique ratione typi, seu quantitatis & durationis, continuus ille calor durat saltim diem naturalem, XXIV. horarum spatio inclusum, & in declinatione venit ad perfectam ἀπυρεξίαν, exacerbatione simul & semel plenarie sedata.

Patefaciunt eandem POST-ESSENTIALITER CONSEQVENTIA, symptomata omnis generis, actionum læsarum, excretorum & retentorum, & qualitatum mutatarum. In *facultate naturali*, nullum præcedit cibi fastidium, nisi a repletione nauseabunda; nulla adest spontanea corporis lassitudo, neque grauior somnus, neque horror & oscitatio, nullus capitis dolor, & ventriculi corporisque inquietudo deprehenditur in *animali*; comparatione cum reliquis facta. Contra ea pulsus ad harmoniam naturalis magis inclinat, celer, sed magis æqualis. Respiratio

minus

minus citatur; in excretis vrina quoque saturatior paulo, sed breui mutata in melius, quod & de cruditate praeuia, v.g. ab ebrietate intelligendum. Sudor largior, *Galeno l.1.de diff.febb.c.7.* edifferente, in declinatione emergens exactum ephemeræ est signum, suaui enim vapore vel blando & benigno madore præuio, integra cessatio sequitur, quam integritas perfectæ sanitatis excipit iterum.

Confirmant idem CAVSAE PRAEGRESSAE euidentes, febris huius parariæ, per supra dicta, quæ ex relatione ægri & adstantium patefiunt, adeoque non difficulter eruuntur, quomodo characterem febrilem impresserint lymphæ. Sic ab ardore solis, mora longiori in aere æstuante prægressa, non defensa satis parte, calor manifestum vredinis sensum eidem infert, seu caput fuerit inprimis, seu manus circa carpum, ex quo centro tristis sensus diffunditur in vicinum clima, & pulsu teste in reliquum corpus.

Sic assumta alimentosa vel medicamentosa ephemeram induxisse, ex eorundem substantia, quantitate, proportione & qualitate deprehenditur. Sic motus, vigiliæ, & reliquæ res nonnaturales, causæque euidentes latere nequeunt, modo & prouide inquirantur ab artifice, & candide recenseantur a patiente vel adstantibus. Quæ etiam variant circumstantiæ phænomena, modificare quidem eadem, prout quælibet causæ agunt diuerso gradu, queunt, re ipsa tamen satis constante.

Cognitæ exacte ephemeræ facilis hinc & benigna consequitur PROGNOSIS, ratione SALVTIS & MORTIS. Et quidem in genere ex sui natura non est periculosa, sæpe absque medici auxilio per se cessat, citiusque abit quam cognoscitur. Qui vero diariam rite cognouerit, statim poterit prædicere eam esse breuem, nec vltra terminum sæpe dictum duraturam. Exquisita enim periculo caret, inprimis si principium bene tolerare possunt, & minus maligna sed leuia eaque pauca adsunt symptomata. Imo & ob breuem

durationem, accedente inprimis periti medici prouidentia, corpus noſtrum leuiter ſaltim afficit, nec multum affert incommodi; & quemadmodum originem habet in ſubiecto minus ſtabili, ſed tenuiſſimo & facile reparabili, ſeu vt eius generatio celer, ita ſolutio talis quoque erit. Non tamen eſt negligenda, quamuis velocis & bonæ terminationis ſit, cum poſſit propagines malas gignere, & per accidens periculoſa fieri terminatione & degeneratione in alias, ex incuria maxime & negligentia ægrorum.

Prædictio hinc deſumenda a cauſarum, a quibus producuntur, diuerſitate earumque vehementia, vnde facilius vel difficilius tolluntur; hoc ſi fit, ne degenerent in alias febres, periculum adeſt. Sic ex cruditate & corruptione ciborum nidoroſa, inprimis ſi aluus fuerit lubrica, minus noxia; ſin adſtricta, grauior eſt & periculoſior. Sic quoque ſi ab adſtrictione cutis vel a *στεγνώσει*, minus manent intra terminos ephemeratum, illæ enim ſimplicem non ſolum intemperiem calidam excitant, ſed & vitioſos humores in corpore vel generant vel retinent. Hinc ſæpenumero, in cacochymicis præcipue, in putridas poſt aliquot dierum curſum, aut, ſi mitiores humores, in ſynocham citra putredinem, ſeu *πολυημέραν* tranſeunt. Si magna obſtructio facta ſit, autore *Galeno l. 8. M.M. c. 4.* febris non erit ephemera.

Si ab inedia eaque longiori oriatur, facile in hecticam tranſire poteſt, diſpoſito inprimis corpore ſicciore. Animi affectus ſubiti ſponte fere ceſſant, leuioresque pariunt ephemeras; ex vigiliis tamen qui ea laborant, facile in ardentem incidunt, humoribus plus juſto fuſis ac calefactis. Ab inflammationibus externis, (ab internis vero viſcerum peiores ſunt,) vt ex inguinum tumoribus ſeu bubonibus, vbi calor ephemeræ ſaltem eſt conſenſualis, ſi omnia accidentia ſtatim minorentur, ſalubris erit, hinc & *Cous 4. aphor. 55.* omnes febres ex bubone præter ephemeras malas pronunciat. Quando

do vero causarum diuturnitate vltra diem perdurant in corpore plethorico, degenerant in synocham. Sic a medicamento caustico continuato nimis in corpore bilioso exsangui oborta ephemera, cum dolore intensissimo in hecticam trasmutata fuit, apud *Forest. Obs. 7. l. 1. Schol.*

Ratione LONGITVDINIS & BREVITATIS, exquisita nomini conformem seruat terminum & desistit post primam accessionem; minus legitima ad triduum vel quatriduum prolongatur, & si longius perduret, nomen amittit. Vbiuis vero a posteriori magis hæc longitudo & breuitas, imo tota febris æstimanda.

MODVS EVENTVS duplex esse solet, vel *solutio benigna*; quæ vix nisi *ἀκύρως* paulo *κρίσις* appellari meretur, quippe non morbus acutus est, quia breuis & leuis, caretque malis accidentibus illi familiaribus. Terminatur ordinarie sudore vaporoso naturali non admodum multo vel largiore, sed leui, aut madore pauco, soluiturque sic absq; omni exacerbatione, sibi relicta. Vel *degeneratio* in alias deteriores, siquidem vel ob vitiosam corporis affecti constitutionem, vel ob commissum nouum in aliqua diætæ parte aut medicamentis errorem, vel ipsius fermenti prorogatum fomitem, mutationis periculum verendum est, quod fit in genere, si vltra statutum tempus diutius perduret quam par est, nec sudor cum *ἀπυρεξία* plenaria & pulsu æquali acciderit, vel si æger sudauerit, tamen ex integro non desinat febris, elogio *4. Aphor. 56.* vel si dolor capitis, comitans ephemeram, perseuerat constanter; quæ monstrant in aliam conuerti febrem, per propria signa eruendam.

Præstat hinc & medicum & ægrum cautum esse. Medicum, ne statim febris signis præsentibus vel ephemeram exclamet, adeoque negligat, fallendus facile insidiis, & morbi statu immutato, vt quod turpe est eidem non minus ac duci bellico, dicere cogatur: non putaram. Ne item febrim reuera diariam, vel quasi talem, eamque sua natura leuiculam & breui desituram, præcipitet in aliam, vel prognosi lata, vel male tractato morbo. Ægrum vero, ne in crastinum differat res serias, hostemque vel

negligat, vel plus justo timeat, in eosdem offendens scopulos.

CAPVT VII.

De

Curatione generali, & speciali ex fonte Chirurgico.

COgnita hactenus febris ephemeræ natura cum suis caussis & signis, CVRATIONEM vt jam, tanquam præcipuam medendi partem, subjungamus necesse est. Vtut vero communiter nec difficilis videatur earum curatio, nec vtilis, quod per se mediante sudore cessare soleat, & raro ad eius curationem vocetur medicus; cum tamen non sit vnius generis, cum facile in alias grauiores degenerare queat, & principiis obstandum sit, nec leue quoque negligendum incendium, præstat vbiuis circumspectum esse, nec in his imparatum offendi medicum.

Absoluitur autem, ex Methodi Medendi legibus, tribus INDICATIONIBUS, CURATORIA, PRÆSERVATORIA, & VITALI. CURATORIA motos componere fluctus, & massæ sanguineæ illatum feruorem debite compescere, adeoque fermenti peregrini difflationem attendere jubet. PRÆSERVATORIA caussas fouentes respicit, aufferendo præsentes, materiale incendii, restaurando defectum absentium, & maxime fermenti multiplicationem. VITALIS virium, spirituum, lymphæ, viscerum tonum ac robur & hic, quantum opus, cordi habet.

Hisce indicationibus præsidiis ex triplici possumus satisfacere fonte, & quidem Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico. Si vllibi vero, sane in ephemera in singulis præsidiis attendenda est methodus Hippocratica & probe distinguenda, προσθέσει καὶ ἀφαιρέσει constans, ne ordo invertatur temere.

Ex

Ex Chirurgia primum occupat locum venæ sectio, magnum & generosum nimis remedium, febrique huic minus fere proportionatum. Qui facile venæ sectionem indulgent, eique fauent, & in ephemera illam admittere leguntur, ad ventilandum sanguinem mature, & particulas calidas, ne accendantur, remouendas, vti etiam apud *Willisium l. de febb. c. 8. p. m. 163.* in iuuene, habitu corporis athletico, ab immodico vini generosi potu, admissa fuit. Res eo redit, vt summatim nos expediamus, venæ sectionem non conuenire nisi a causa positiua, eaque vrgente, metu grauioris mali, ab euacuatione aliqua sanguinis suppressa, corpore plethorico, adeoque præsente indicatione. Sic si mensium fluxus non eueniat, prægressa ira, ac febris eiusmodi accidat; si a vulnere capitis, præsentibus laudatis circumstantiis, inflicto ebrio eadem eueniat, & similibus aliis, ægro præsertim adsueto, admitti potest. Si item extendatur paulo, maxime synochæ facie apparens, locum eadem habet; in aliis vero casibus non temere, hoc quidem titulo ephemeræ, instituenda. Idem dictum esto de Cucurbitulis, venæ sectionis succedaneis, quæ tamen aliis in febribus vniuersali nomine minus frequentantur.

Referendæ quoque huc Frictiones, in hac febre antiquitus vsurpatæ, quæ certis casibus non sunt de nihilo, ad promouendum transpiratum, inprimis si cutis densior & adstricta, vel occasione bubonis, & rheumatismi alicuius morbus enatus fuerit; laxant enim & aperiunt poros, vt materia in halitus conuersa euacuetur, & perspiratio liberior reddatur, calorque natiuus roboretur. Curandum vero, vt leuiter & molliter peragantur, nec longæ sint, alias magis attrahuntur humores, & affluxus citatur. Simul vsum inueniunt, adhibitis pulueribus cypriis, in capite, in crinonibus, litibus ex melle & aliis, quorsum & vnguentum *Aetii* ex nitro & oleo retuleris.

Et Invnctiones enim eiusmodi olim quoque solennes erant in ephemera curanda, hodie itidem rariores, præterquam topica, seu locali indicatione præsente.

Balnevm sequitur, cuius olim in ephemera potiorem habebant rationem, eoque vtplurimum solo, habita simul victus ratione, cu-

ram instituebant, quod *Galnnus* propria experientia *l.1.diff.febb.c.2.* testatur, quando scribit: nos vero re ipsa hoc millies probauimus, prima accessione finita lotum hominem, ac post mediocri cibo refectum, ad consueta opera transmittentes, vt qui alteram febris accessionem sensurus non esset, neque nostra nos fefellit opinio. Verum est, juuat balneum diarias, vti cum *Hollerio* plurimi eius virtutes collaudant, si ab vredine, quia refrigerat & humectat, si a frigore, calefacit, si a lassitudine & rarefactione cutis nimia lassatum corpus, reficit, si a cutis adstrictione & siccitate, relaxat ac humectat.

Cum vero apud Europæos & inprimis Germanos tanta balneandi frequentia, & in illis apparandis diligentia, ac antiquitus Ægyptiis & hodienum adhuc locis calidioribus & orientalibus obseruata, minus in vsu sit, corporaque haud promiscue, vt illis, in balneum mittenda, vtpote quæ impuritatibus sæpissime scatent, hinc plus damni iis afferri posse verendum, ne actuentur magis cruditates, vt faciliorem accensionem subire valeant.

Hinc *Trallianus* non incongrue optimum quidem & præcipuum defatigatis lauacrum scribit, sed citra rationem adhibitum non paucos insigniter offendere, plethoricos & cacochymicos. Adde ex cruditate, repletione, retentis euacuandis, fluore alui vel catarrho aliisque enata. Eorum vero in locum pediluuium in vigiliis, lassitudine, motu fortiori & æstu solis causæ vicem subeuntibus, substituendum, vel abstersiones cutis sudorumque aqua tepida, seu fotibus, ex emollientibus, abstergentibus, & roborantibus, decocto *serpill. capill. ♀is, hyssop. origan. chamom. melilot. fœnic.* & aliis instituendas suademus.

CAPVT IIX.

DE

Remediis Pharmaceuticis.

CHirurgiam excipit PHARMACIA, quæ sub se comprehendit & Purgantia & Alterantia, interna & externa.

Euacuantia hic prima fronte non æque necessaria apparent, neque iis promiscue curatio occipienda, vel absoluenda.

Non

Non habent locum, si a causa priuatiua oriundus sit morbus; habent, quando fomes in primis viis hæsitat, aluo adstricta, cruditatibus, flatibus coniunctis, præuia ebrietate & infarctu minus superando, nisi fiat euacuatio. Ita vero in prima herba extingui potest morbus, minera pituitosa vel biliosa ablata, vocando in vsum LENIENTIA, e *sirup. rosar. solut. pilul. aloët. violat. rosat. aloephangin. sennat. elect. lenitiv. pulpa tamarind. spec. diasenn. brodio laxatiuo*, acuendo ♀ro ⊕lat. *cryst all.* vel *cremore* ♀*ri.* Et vel Clyster leniens & refrigerans suffecerit, vbi aluum expedire ex vsu videatur, ex radicibus herbis & floribus emollientibus, cum appropriatis scopo remixtis ac apparatis.

PRÆPARANTIA & Digestiua magis, vbi mora conceditur, conueniunt; vt & PURGANTIA proprie dicta, neque enim hoc loco vltra *sennata*, vel *rhabarbarina*, aliaque id generis excedendum fuerit, imo fere ne his æque opus est.

VOMITORIA vero, quando ob cruditatem biliosam vel pituitosam, cum farragine maiori collectam, iis opus videtur, magis præsentaneum edunt effectum, vnde &, ex *Helmontii* mente, & a vomitu, vel peracta digestione, sponte cessat. Hinc præsente cruditate tali vel repletione, præuia ebrietate, vel congestione prægressa, cum ructibus & grauitate ventriculi, ne saburra ibi residens massam sanguineam intimius afficiat, emeticum, ad malum radicitus tollendum, propinari potest, dato ♁ *bened. Ruland.* ⊖ ⊕l. ♀ *emet. extr. asari*, aliisue in brodio carnis facile assumendis, minori tamen magis dosi. Ita enim & aufferre nidum morbosum & anteuertere aliam febrem licebit.

Eodem communi adiumento præsto sunt DIAPHORETICA quæ vt febrium sunt panacea quædam, ita & ephemeræ curandæ apprime debentur, fermentum rarefactiuum corrigere & diffusionem illius tollere, vnaque per blandum sudorem exterminare, apta nata, in quo vnice huius febris solutio & salus consistit. Meliora vero sunt & præcipua *Bezoardica.* Vti enim nusquam tuta fides, ita præstat & hic circumspectum esse & via regia incedere, præcipue in bubonibus, tumore glandularum aliarum, febribus puerperarum, stagnatione lactis, arthritide vel erysipelate quoque imminente, imo & in gene-

genere ne in putridam continuam vel malignam fiat conuersio. Prosunt hoc nomine præcipue media & aliquanto volatiliora, vt ♀ dêit fieri & consequens immutatio fermentifica febrilis tanto præsentius expugnetur. Instar omnium esse queunt ℞ *a bezoardica Rolf. Mich. Wedel. Ludou. mist. simpl. ess. myrrh. balsam. theriacal. liquor. C. C. succinat. fermentum bezoardicum viperinum, diascordium Fracast. ☿ium diaph. bez. minerale, ♂le, ♃le, pulu. bez. Wed. mai. & min. spec. de hyacinth. pulu. Pannon rub.* & alia.

Ex DIVRETICIS in vsum trahenda temperatiora, quæ lympham contemperando & reparando feruorem & sitim mitigant, quatenus sulphur accensum obtundunt, volatilitatem peregrinam rarefacientem fermenti figunt, & scorias biliosas ex massa sanguinea abstergendo per vias urinarias præcipitant & educunt. Inseruiunt huic scopo acidula & alia, vt ℞ *a fl. 4. cord. bellid. pap. rhœad.* ⊖*is*, ⊕*i*, ⊕*i philos.* ⊕osa item præcipue, nisi quid obstat, ex *clyss.* ☿ ♀*at.* ⊕ *dulc.* ⊕ ☿*iat. arc. dupl.* aliaque huiusmodi aperientia, quæ & ipsa potui consulto possunt indi, consentiente ventriculi tono & alui statu.

Colophonem addunt omneque absoluunt punctum ALTERANTIA, confortantia, cardiaca, principia vitalia, spiritus, sanguinem & lympham moderantia & conseruantia. Sic propinanda frigida & humida ex aquosis acidis & confortantibus spirituosis, v. g. ex aquis refrigerantibus cordialibus, hepaticis, analepticis, vt *acac. acetos. ceras. nigr. endiu. scorzon. fœnic. fl. borag. buglos. cinam. s. v.* quas cruditas, lassitudo, vigiliæ, mœrores & aliæ indicant causæ; vt & ▽ *prophyl. Sylv. bezoard. Rul. Cordial. H. S. frig. C. C. citrat. Waldschmid.* Sic ex acidis, præter superius memorata, *sir. rub. idæi, berber. rib. acetosit. citr. corall. julap. violar. comp.* ex confortantibus vero *conf. de hyacinth. alkerm. incompl.* quæ & in curis & lassitudine tristitiaque conducunt; *semina* quoque *4. frig. maj. pap. alb. amygd. ambros.* aliaque id genus; ex quibus facile julepi, mixturæ, potiones, emulsiones, & aliæ formulæ formari & pro indicantium modulo variari possunt, saporem pro re nata illis *sirupo gr. Kerm. pap. rh. gemmat.* & dictis aliis conciliando.

Tace-

Tacemus roborantia ſpecifica, ſtomachica, hepatica, vterina, neruina & ſimilia, ex ſuis loculis ſumenda, quæ cauſam coniunctam & fouentem, vt v. g. cruditatem & vomitum, ictericum inſultum, tormina poſt partum, articulos, & ſic porro reſpiciunt. Hæc enim cum bezoardicis & diaphoreticis maritata ſpecifice magis ſatisfaciunt indicationibus. Sic colicæ ſi coniungatur ephemera, & torminibus dictis, carminatiua; ſic calculo, reſoluentia & anodyna; vomitui theriacalia; arthriticis cinnabarina optimo conſilio maritaueris.

Enimvero cauſæ hæ fouentes in nullis fere febribus magis attendi merentur, vti, præter dicta, ſæpe in ventriculo hæret minera, *elix. propriet.* ⊕*li Mynſ. ſtomach. Mich. Rolf.* & aliis corrigenda, additione *M. S.* v. g. ad febrim ſimul habito reſpectu. Vtrobiuis præcipitantia & confortantia laudem præcipuam merentur, modo ſecuri ſimus de malignitate, quamobrem *conchæ præparatæ, mater perlar. corallia alba* & *rubra, ebur ſ.* △*ppt. cinnabaris natiua, puluis epilept. March. abſorbens Wed. analepticus Minder. ſpec. diarhodon, diatr. ſand.* & alia, forma ſicca, media, & fluida aptari varie poſſunt. Præſtat tamen ſemper primarium ſcopum attendere, nec nimis ad hæc diuertere ſecundaria.

Singulis pondus addunt *anodyna*, maxime ſi a vigiliis, doloribus, diarrhœa, catarrho, euacuatione nimia per hæmorrhagias & aliis morbus fuerit ortus, vt *mag. anodyn.* ℞*a anod. laud. opiat.* reliquis, pro re nata, refracta tamen doſi addenda, vtpote quæ caloris æſtum & ſanguinis motum concitatiorem placant, omniaque in decenti curſu conſeruant. Ita vero & ſymptomatibus ſatisfit vrgentibus ipſis.

TOPICA tandem prioribus, ratione indicationis variæ, ſubordinanda. Sic, ſi dolores & vigiliæ exuperent, temporibus inungi poſſunt *vngu. roſac. alabaſtrinum, populn.* & alia. Epithemata item frontalia ex ▽ *verben. puleg. aneth. hypnot. Dorncr. roſ. fl. ſambuc.* ✚ *roſac. rutac. mithrid.* ⌽ *anod. extr. croc.* proſunt. Stomachali regioni, ſi ex cruditate, ebrietate, repletione, & vbi roborandum eſt, applicanda balſama ſtomachica, ſacculi roborantes & carminatiui, emplaſtrum *de cruſta panis, de bacc. laur. ſtomach.*

 Crat.

Crat. Pulsibus epithemata ex *zedoar. sandalis, rosis, spec. diatr. sand. cord. temp. pro epith. cord.* cum ▽ *carf. aur. ros.* ✚ *ros.* & *bez.* quæ aliunde satis nota sunt & huc repeti possunt.

CAPUT IX.

De Diæta.

AGmen claudit DIÆTA, seu retum sex n. n. dictarum legitimus vsus. Cum enim ex iis quantitate & qualitate peccantibus frequentissime oriatur, necesse quoque videtur, vt ad eius curam facilitandam earum rectam habeamus rationem.

In VITALI AER sit temperatus, a frigido enim vti transpiratio impeditur, sic a calido febris magis fouetur. Vitetur ergo vterque excessus. Faueat tepor blandus transpirationi, etiam quando a causa calida febris orta fuerit.

In NATVRALI victus in vniuersum sit mediocris, εὔχυμος & εὔπεπτος, ad frigidum ac humidum inclinans. Quam in rem inseruiunt cremor ptisanæ, juscula auenacea, carnes gallinarum, caponum cum passulis, succo citri, lactuca, acetosa & similibus ad gratum saporem condita, quæ vtpote refrigerant, humectant, sitimque placant. Carnes quoque animalium juniorum, vt vitulina, caponum, perdicum, pullique gallinacei & columbini, pisces item saxatiles suo modo concedendi. Vitanda sunt nimium salsa, acria, aromatisata, calidiora, dulcia, facile calorem intendendo fermentationem febrilem conciliantia.

POTVS sit paulo largior, nisi alui laxitas id contraindicet, cereuisia tenuis, hordeacea, & bene defecata, alterata acidulis, *decoctum* item *hordei* cum *C. C.* vt & acidulæ contemperando feruorem prosunt. Vinum non temere concedatur, præterquam ὀλιγοφόρον, ne feruorem conceptum, dolorem capitis aliaque augeat.

In ANIMALI SOMNVS & VIGILIAE, MOTVS & QVIES debitam seruent alternationem, moderatumque vsum habeant, quorum alterutra si excesserint, debitis modis corrigantur. Quie-

ti vero & somno magis indulgeat æger, proximum enim, ex motu laborioso & lassante corpus, vigiliis, inedia, ira &c. excitata ephemera, sunt leuamen, dum reficiunt spiritus viresque restaurant, motum sanguinis retardant ac refrenant, corpus simul humectant ac refrigerant.

Inter EXCRETA Aluus, menses, hæmorrhoides, sudores ordinem suum seruent, quod si non fiat, freno vel stimulo moderanda omnia. Inprimis aluus minus respondens, clysteribus lenientibus, & refrigerantibus, suppositoriisque lubrica reddenda est.

ANIMI PATHEMATA ad ἐυθυμίαν componantur tranquillam. Curæ, ira, tristitia exulent.

SOLI DEO GLORIA.

Non vna medicus, ceu fungus, luce diei
 Nascitur, haut anni est vnius illud opus.
Vel febris monstrat, quæ quanta, diaria, poscat,
 Ne supra sphæram restitet ipsa suam.
Tu breue, Tu longum spatium superare labore
 Doctus es, vnde Tibi digna tiara venit.

Plausu votiuo hoc & gratulatione honores summos ex merito Capessenti felices esse exopto

PRÆSES.

Febris Ephemeris hîc descripta est perbenè, LIEFMANN,
Dexteritate pari reliquis si feceris artem,
Febribus, euge! feres ægris tàm, quàm Tibi multa
Commoda, & adsurget non uno fœnore nomen.

Clarissimo Domino Doctorando honores, quos capessit, felices esse precor, properante quidem calamo

RVDOLFVS WILH. CRAVSIVS, D.P.P.

Ut curas longas peperit Tibi *Ephemera*, longas
Sic febris laudes ista brevis pariet.

Gratulationis ergo
nobilissimo Domino Doctorando,
Fautori & Auditori suo honoratissimo,
scrib.

JO. HADR. SLEVOGTIUS, D.
Anat. Chir. & Botan. P.P. Med. Duc. Sax. Prov.

Hygeens ächter Sohn! geh zeige dich der Welt/
Mit dem/was dein Papier gelehrtes in sich hält.
Weiß auf und laß itzt sehn/ was Fleiß/ was Kunst und
Tugend/
Das Kleeblad edler Zeit für Honig deiner Jugend/
Bemühter LIEFMANN/schenckt: Und mercke diß dabey/
Daß obwohl deine Schrifft von jenem Fieber sey/
Das einen Tag nur währt/dennoch die kluge Sätze
Selbst die Gelehrsamkeit des Purpurs würdig schätze.

Hiermit solten bey dem Herrn Doctorando
ihre Schuldigkeit glückwünschend
abstatten desselben etliche

Gute Freunde.

(o)